

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
INDVLGENDO AEGRORVM
APPETITVI

QVAM
DEO PROPITIO
AVTORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS AC GRATIOSAE MEDICORVM ORDINIS
IN INCLYTA ACADEMIA IVLIA

PRAESIDE
D. PETRO GERIKE

CHYMIAE THEORIAE ET MATERIAE MEDICAE
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO SOCIETATIS
REGIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS MEMBRO
FACVLTATIS MEDICAE NVNC DECANO

SPECTATISSIMO
PATRONO PRAECEPTORE AC PROMOTORE SVO
AETERNA PIETATE COLENDO

PRO DOCTORIS GRADV
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS INSIGNIBVS
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS MORE MAIORVM
RITE CAPESSENDIS

DIE II. OCTOBRIS A. R. S. MDCCXLII
IN AVDITORIO MAIORI
HORIS MATVTINIS ET POMERIDIANIS
SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI
OFFERT

MICHAEL CLÖTZ
WILNA-LITHVANVS.

HELMSTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

Pathol. gen.

452,8

Therap. 177.

DISSELTATIO IN VITAE MEDICINA

DE

INDULGENTIA AEGROTI

ALBERTI

DEO DOCTORIS

IN PRAESENTIA

REVERENDISSIMI PATRIS

ACADEMIAE

PHYSICAE

ET MATHEMATICAE

IN UNIVERSITATE

FRANCOBURGENSI

SCRIPTA

ET DEFENSA

IN PUBLICA

DISSELTATIONE

PHYSICAE

ET MATHEMATICAE

IN UNIVERSITATE

FRANCOBURGENSI

SCRIPTA

ET DEFENSA

IN PUBLICA

DISSELTATIONE

PHYSICAE

ET MATHEMATICAE

IN UNIVERSITATE

FRANCOBURGENSI

SCRIPTA

ET DEFENSA

IN PUBLICA

DISSELTATIONE

PHYSICAE

ET MATHEMATICAE

IN UNIVERSITATE

FRANCOBURGENSI

SCRIPTA

NOBIL. ET CLARISSIMO
CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

Non curantur morbi eloquentia; nec disputando semper veritas obtinetur; interdum vero ita amittitur. Decet tamen illa hominem, praesertim eruditum, & de morbis aliisque ad Medicinam rebus apte differere posse, Medicum. Indicat utriusque facultas probe instructa hominis ingenium, iudicium, diligentiam; sine quibus cum in nulla disciplina multum proficiatur, in Medico inde documentum capi potest, quam aptus ad eas res addiscendas, quae recte morbos curaturo scitu necessariae sunt, accesserit, & quomodo in eo studio versatus sit. Ut porro apte quis differere & recte disputare queat: copia rerum rite dispositarum paratus veniat oportet: sine qua loquax & rixator esse potest, eloquens, aut disputator dici non meretur. Etsi vero nec veritatis amor, nec ulla lex alia postulet, si quis forte errorem defendat, ut, ad conspectum prioris, in publicis conflictibus arma statim aduersario submittat: est tamen egregius disputationis fructus, eam ita saepe offerri; cui postea reuerentius palma datur, si non necessitate, sed sponte & ex vero amore id fit. Est alter non minus eximius, suas in tali certamine vires & copias experiri & discere. Intellecta sine dubio dudum a TE, CL. CANDIDATE, fuit huius rei utilitas; eademque TE causa mouit, ut sponte TUA ante biennium tali certamini TE offerres, & dissertationem medicam sub meo moderamine publice defenderes. Nolebas moribus huius seculi agere, quibus huius generis exercitationes, in Medicina praesertim, inter res saltim non necessarias referuntur, & plurimis satis superque esse videtur,
sub

sub finem curriculum Academicum velitatione qualicumque, spectaculi gratia instituta, lauream doctoralem mereri. Sed ut consilium illud Tuum laude omnino dignum fuit: ita magis adhuc in Te laudo, quod, edito eo specimine & conquistis multis formulis, ad praxin medicam faciendam Te hinc non mox superbus contuleris. Quin Tu, quo magis in artis salutaris & aliarum scientiarum sacraria semper penetraueras, eo plura animaduertisti, quorum in futuros usus acquirendorum occasio Tibi minime praetermittenda videbatur. Habuerunt ergo ut annis duobus primis, ita totidem subsequens, Celeberrimorum in hac nostra Italia Virorum, Collegarum meorum honoratissimorum, & mea iussellia Te frequentem & attentum auditorem; neque ullam omisisti partem, quae quidem ad medicinam rectius faciendam opis aliquid conferre potest. Iam cum tempus erat, ut eruditionis Tuae fructum aliquando in Patria Tua perciperent aegroti: Facultati Medicae experimentum illius aliud prius dandum recte statuisti. Quae ergo, ut studiorum Tuorum adhuc testis, non modo ad examina consueta Te lubens admisit; sed etiam tales in iis profectus Tuos cognouit, ut cathedram Tibi iterum permittendam iudicaret, in qua nunc pro Doctoris gradu capeffendo aliud certamen inires. Fiet hoc, Deo volente, crastino die, & ut non dubito, strenue; eaque peracta *solemnitate, honores diligentiae & studiis Tuis debitos, me brabeuta, consequeris.* Ex animo ergo Tibi gratulor de studio in Medicina probe confecto, DEUMque T. O. M. veneror, ut studia TUA non minus ac conferendi honores in sui nominis gloriam, Patriae ornamentum, aegrorum solatium & Tui ipsius emolumentum vergant. Ingredere, quod paras, iter ad penates Tuos, quibus diu nunc cares, bonis auibus, & Italiae nostrae nostrique semper memor bene vale. Dab. Helmstadt.
A. O. R. CIO IO CC XXX XII. iplis Calendis
Octobris.

GENE-



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
INDVLGENDO AEGRORVM
APPETITVI.

PROOEMIUM.



Ira semper res visa est Philosophis;
quotiescunque cogitarunt, & homi-
nes & animalia etiam bruta ad con-
seruationem sui corporis, & ubi vi-
tio aliquo illud laborat, ad restitu-
endum idem pristinae integritati,
quotidie opus habere multis, quæ
quomodo huic illive fini conducant,
haud adeo rationi manifestum est; illos tamen ab initio re-
perire istorum multa potuisse, hæc vero omni tempore
egregie prorsus vitæ suæ idonea alimenta atque auxilia pro-

A

spi-

spicere, & sibi nocitura euitare. Varia proinde a variis ad hoc problema soluendum allata ratiocinia passim leguntur: quorum nunc examen instituere & locus & eius angustia vetat. Admirandum vero semper, si quod aliud, hoc certe & plane luculentum ego Diuinæ prouidentiae & benignitatis præbere argumentum existimaui, quod utrorumque summæ necessitati prospectum tam liberaliter, uti eximio esse, obseruamus. Apparet etiam inde, quare omnes ii, qui nulla habita ratione illius prouidentiae, explicare eam rem aggressi sunt, operam & oleum perdiderint. Placuit vero maximæ summi Numinis sapientiae, non uno prorsus eodemque modo hoc negotium peragi. Hominibus enim rationem dedit, qua si recte uti vellent, ut alia, quibus indigerent, ita etiam multa, quibus vitam sustentarent, inuenire possent; cuius defectum in brutis instinctu concessio impleuit. Quid sit ille instinctus, & quantum ab hominum ratione differat, sollicitius inquirere iam non licet; sufficit mihi in præsentia ceu rem omnibus notam allegare, quod illius ope vel sola discernere sibi proficientia a noxiis queant. Fuerunt vero, qui tam ingens illud Dei beneficium, vel rem tam eximiam reputarent, ut eius usum accuratius considerantes & comparatione instituta cum abusu, quem rationis quotidie homines faciunt, huic illum longe præferre minime dubitauerint; imo plus in illo rationis sibi deprehendisse multi visi sunt, quam in ratione ipsa; seu serio id egerint, seu ingenium in eo suum tantummodo ostentare voluerint. (*) Enimvero sicut in reliquis rationis præ hoc instinctu excellentiam adstruere facile est, nisi eam in illis tantummodo hominibus, qui vitam veluti pecora & peius adhuc transigunt, considerandam putemus: ita sane illarum solum rerum, quæ ad vitæ conseruationem pertinent, rationem habentibus haud improbabile videri queat, feliciter multo cum brutis, quam quidem cum humano genere

(*) Vid. in primis Rorarius, tract. quod bestiz melius utantur ratione, quam homo.

nere agi; siquidem non nisi post multas ambages & longa demum tempora ratio videt, quæ bruta nullo negotio statim distinguere valent. Haud iam allegabo, pullos, & reliqua animantia, quorum curam gerere matres modo deserunt alimenta, quoduis suæ naturæ congrua, sine difficultate reperire; nec illud notatu dignum phænomenon attingam, rarius, quam homines animalia morbis obnoxia fieri. (*) Non vero prætermittere debeo, quod præcipuam mereri considerationem nonnulli arbitrati sunt, bruta, quotiescunque morbo quodam correpta sint, solo statim instinctu explorare ea, quibus illum depellere possint: (**) cum interim homo, omnibus etiam adhibitis rationis nervis, spe reperiendi salutaris remedii sæpius excidat, certe ratione sua a priore nunquam deprehendere valeat, quodnam potissimum huic illius morbo profligando aptum sit. Quæ etiam de causâ nonnulli, cum probe perspicerent, illa ratione in notitiam auxiliorum aduersus morbos, quibus æque ac nos, etsi rarius opportuni erant primorum temporum homines, nequiquam statim peruenire potuisse; ut ex illo dubio, unde ergo ab initio ea edocti essent, se expedirent; alii, ut artis dignitatem eleuarent quodammodo, brutis animalibus inter primos Medicinæ magistros locum quendam assignare, (***) quamuis id quidem satis temere, ne dicam sine illa ratione, ausi sunt. Longius adhuc progressi sunt Poëtæ & Philosophi quidam, qui ne alimentorum etiam inopia primos homines perire paterentur, satis pulchre cum iis se agere sibi visi sunt, si, ad animalium conditionem iisdem reductis, eundem cum his, sed magis brutum instinctum concederent; ac mutum & turpe pecus
A 2
glan.

(*) Vid. Stahl's Pathol. Part. I. Sect. I. Membr. I. Art. I. cui assentitur Chr. Thomæus in Cautelis circa præcognita Iurispr. Cap. XVIII. § 31.

(**) Vid. Plin. hist. nat. L. XXVII. Cap. 3. & circa finem Cap. 13 Le Clerc Hist. de la Medecine Liv. I. Chap. 2. Part I.

(***) Plin. Hist. nat. lib. VIII. cap. 26. 27. Baker de l'incertitude des sciences.

glandem & cubilia propter unguibus & pugnis inuicem finirent pugnare. (*) A qua ipsa sententia non multum recedere videtur *Hippocrates*, (**) qui istud supra memoratum problema quoque ex parte agitauit. Non libet iam, neque licet, hasce opiniones accurate excutere, hominumque causam contra pecudum patronos multis defendere. Sicuti vero ultima omnium absurdissima est: ita *Poëtae illi & Philosophi* de hac causa tam parum genere suo digna effutuerunt, ut applicari iis queat, quod olim de *Empedocle*, alio tamen sensu, homines dicebant, vix humana eos videri stirpe creatos. (***) Frequentia vero morborum in hominibus præ brutis, tantum abest, ut hominum ratione pollentium dignitati præiudicium afferat, ut potius manifeste appareat, illorum primam originem tantum non semper a rationis abusu, saltim non debito usu, esse deriuandam. Quatenus porro nonnulli perhibent, a bestiis plurima homines remedia esse edoctos: eorum quidem narrationibus tum denique fidem haberi velim, si variis & certioribus, quam adhuc videre licuit, experimentis adductis, nobis demonstrauerint, quomodo, aut qualia vel olim, vel nunc, etiam hominibus remedia, bestiis præmonstratoribus, innotuerint. Firmiori fundamento niti videntur, quæ de felicitate brutorum in inueniendis sibi salutaribus remediis dicunt: cum utique illa morbis oppressa instinctum varia docere obseruemus, quibus adhibitis ad pristinam valetudinem perueniunt. Quamuis sine ambitione verum scrutanti, quin imo rerum omnium, quæ fiunt, non prorsus ignaro, facile apparebit, raro admodum in hisce eligendis acutius hominibus bruta cernere, & in plerisque morbis, præsertim gravioribus, ab humanis consiliis opem expectare. Si quis tamen adhuc brutorum forti
inui-

(*) Vid. Horat. Satyr. 3. Lib. I. conf. Diod. Sic. Lib. I. cap. I.

(**) Lib. de Veteri Med. §. 7. Edit. Linden.

(***) Vid. Lucretius de rerum nat. Lib. I.

inuidens horum instinctum rationi suæ anteferendam autumet; videat is, si de iniuria, quantam sibi inferat, minus cogitet, ne iniustam querelam de favore summi Numinis instituat: quod satis & sibi & toti humano generi, cui utique cum omni sua ratione pereundum, sine alio adiumento, ab initio fuisset, propitium se exhibuisse deprehendet, & huic incommodo benignissime prospexisse; si considerauerit, alia ratione, quod rationi decedere videbatur, illud suppleuisse, concedendo nimirum hominibus quiddam instinctui analogi, puta appetitum, & quæ huic opponitur, nauseam; quorum proinde beneficio inter alia, quæ artis productioni fauerunt, multa olim reperta esse, & hodieque passim reperiri utilia auxilia, uti noxia discriminantur, nullus plane dubito. De nausea equidem, quatenus plurimum commodi in morbis præstet, minus disceptationi locum relinqui putem. Non æque tamen appetitus in morbis usus manifestus videri possit omnibus: cum toto die animaduertere liceat, ægros sapissime concupiscere, quæ concessa maximum iis præiudicium afferunt; quemadmodum utilissima haud raro remedia auersantur: ut non minimus Medicorum labor in eo versetur, ut ab illorum usu ægros depellant, horum vero usum iis commendent. Sed præstat tamen appetitus boni aliquid; certe non adeo morose, uti a multis fieri obseruatur, reprimendus videtur; neque ullum mihi dubium est, quin in maiorem is ægrotorum commodum verti queat, si maior sapius eius ratio haberetur, atque prudentis Medici consiliis rite semper administraretur. Quare cum haud leue praxeos in eo consistere existimem momentum, ut sollicitè semper appetitus tractetur, inque nulla re maior & ægrorum & Medicorum dissensio sit; utrorumque rationem, habiturus, quantum illa res firmis rationibus & accuratis obseruationibus superstrui possit, breuiter edisserere enitar.

§. I.

§. I.

Non dubito, fuisse semper & esse adhuc multos, qui, si forte inciderunt in hæc elegantissimi Medicinæ scriptoris, A. Corn. Celsi verba : (*) *in initia morborum famem sitimque desiderant: ipsi deinde morbi moderationem, ut neque aliud, quam expedit, neque eius ipsius nimium sumatur*: parum in iis elegantia venustatisque deprehenderint; aut si ad eum modum apud ipsos ægrotantes Medicus peroravit aliquando, illi sermonem hunc, ceu ipsorum expectationi, aut votis haut omnino respondentem, non perbeneuolis admodum auribus exceperint. Quo vero maior ubique eorum reperitur numerus hominum, quibus morositas illa & tyrannica, uti putant, principia, quæ immoderatos ægrorum multorum cupiditates coërcent, minus videntur ferenda: eo minus de suspendenda huic dissertationi hedera cogitandum habemus, facile persuasi, titulum ipsum ei præfixum sat multos nobis lectores allecturum & eorum benevolentiam conciliaturum esse. Qui, præsertim si mox legent, non in cibo tantummodo & potu, sed in aliis rebus omnibus, ad quas ferri ægrorum appetitus solet, indultum nos illis velle: non minus hic, quam omnes generis salivæ movendæ aptas cupedias hic quærent. Sed eos, ut appetitui suo modum statuere velint, maximopere rogamus. Ita enim fieri poterit, ut vel re ipsa, vel bene merendi studio illorum nobis benevolentiam conferemus. Sin gulæ suæ quis intemperantis patrociniū hic expectet, non indignabitur, quando deinceps

spes

(*) L. II. de Medicina, cap. 16.

spes se suas egregie fefellisse intellexerit. Quem proinde statim remittam ad ea, quæ autor modo laudatissimus in eodem capite mox elegantissimis non minus, quam verissimis verbis subiungit: *Intemperantes, inquit, homines apud nos sibi cibi tempora, modum curantibus dant: rursus alii tempora medicis pro dono remittunt, sibi ipsis modum vindicant. Liberaliter se agere credunt, qui cetera illorum arbitrio relinquunt, in genere cibi liberi sunt: quasi queratur, quid Medico liceat, non quid agro salutare sit. Cui veementer nocet, quoties in eius, quod assumitur, vel tempore, vel modo, vel genere peccatur. Quæ verba, si cum prioribus collata, prout decet, examinauerint, sine dubio & Celsum & reliquos Medicos ingrata interdum commendantes, a morositatis vitio absoluedos, nec, pro beneuolis eorum & salutaribus monitis, amplius tanta illis reponenda odia arbitrabuntur.*

§. II.

Vt vero de instituti mei ratione rectius constet, quo sensu vocem appetitus accipiam, paucis antea indigitandum est. Non ergo hic angustiis illis limitibus eius significationem comprehendendam putavi, quibus in foro medico circumscribi solet, ut ad nullas fere is alias res se extendat, quam ad cibum & potum; sed omnia sub eius ambitu complector, quæ sub illis loquendi formulis intelligi solent, quarum usus apud nos frequens est: Er hätte einen guten appetit dazu: es kommt ihm an: es lüftet ihm darnach &c. Cumque illæ mihi satis conuenire videantur in id, quod Philosophis appetitus sensitui nomine venit, breuiter, quid hac voce sibi velint, explicandum

dum

dum est, quatenus id ad nostrum propositum pertinere existimo. Definiuit ILL. WOLFIVS (*) *appetitum sensitivum*, quod sit inclinatio animæ ad ea, quorum bonitatis habemus notionem confusam: qua definitione rem ipsam exprimi, attentio ad nosmet ipsos, & ea, quæ ita appetimus, facile docet. Non admodum etiam illa differt, si magis sensum verborum; quam hæc ipsa pensitemus, quam b. BVDDIVS, Theologus quondam celeberrimus in Theologia sua morali exhibet (***) ita expressam: appetitus sensitivus est inclinatio voluntatis ad ea, quæ corpori grata sunt, & ita per sensus & imaginationem repræsentantur. Quamvis dubium hic alicui oriri queat, an non alia etiam, quam quæ corpori grata sunt, interdum cedere sensitivum appetitum valeant? cui tamen excutiendo iam tempus impendendum non puto.

§. III.

Possent vero aliud, ex Wolfiana præsertim definitione ortum dubium moveri, quod omnino, cum exempla eius in progressu huius dissertationis adducenda sunt, tollendum est. Dictum scilicet in illa est, appetitum ferri ad eas res, quarum bonitatis habemus notionem. Iam vero quotidie observare licet, multos homines, maxime fœminas, avidissime appetere varia, quorum vel bonitatis nullam antea unquam habuerunt ideam, vel incommoda aliquoties iam expertæ fuerunt. Ita aliæ maximo eum appetitu ingerunt cretam, calcem, aliaque his similia, vel deteriora: etsi frequens illas experientia docuerit, varia

(*) in den vern. Ged. von Gott, der Welt und der Seele des Menschen. §. 434.

(**) Part. I. Cap. I. Sect. VI. §. 2.

DE INDVLGENDO AEGRORVM APPETITVI.

ria ex iis assumtis ventriculum perpeti mala, chlorosin, mensium obstructions, multorumque morborum, qui illos libere non fluentes a tergo excipiunt, cateruam oriri. Visæ vero etiã aliæ sunt in **fimi** vapore singulare quoddam quærere oblectamentum: aliæ alii absurdis rebus mirifice recreari. Notandum ergo est, in appetitu sensitiuo non esse quæstionem de vero bono, sed requiri saltim, ut res appetita boni quandam imaginem habeat: in quem censum omnia illa, quæ vel imaginationem oblectare, vel sensus & sensationes recreare valent referimus. Quodsi vero neque tale quippiam in adductis exemplis deprehendi posse quis existimet: sciat is, de gustibus & aliis perceptionibus corporis confusis neuiquam hominibus litem esse mouendam. Si denique a nonnullis ea auide appetuntur, quibus usæ antea nunquam fuerunt, & de quibus adeo, quam gratiam habeant, persuasæ esse minimæ putantur: sedulo tamen inquirenti facile apparebit, vel ex simili aliqua olim re voluptatem eas percepisse; vel nouam quandam rem pulchritudine sua apparente ita contemplantium blandiri animis, quod in Evæ exemplo videre licet, vt magnum ex usu eius commodum certo se sperare posse existiment.

§. IV.

Intelligi simul ex modo allegato exemplo potest, quid rei notio confusa sit, & quam vim ad excitandum appetitum sensitium habeat. Nil enim rationis erat, cur Eva sibi persuaderet, in pomo vetito prudentiæ semina latere; nec certe huius ipsius vera notio animo illius tunc occurrebat. Sed, ut apparet,

B

sensus

sensus & imaginatio menti eius repræsentabant mutationem aliquam in se a fruitione eius pomi expectandam, quæ statum suum magis perficeret, eoque maiorem sui excitaret admirationem.

§. V.

Dixi in præfatione, appetitum sensitivum esse analogi quippiam instinctui brutorum. Neque vero eos multum a se inuicem differre iudicabit, qui utrumque paulo accuratius fuerit contemplatus. Certe si in se spectentur, prorsus conueniunt, vt eadem instinctui definitio applicari possit, quam cum Wolfio appetitus sensitivi dedimus. Si cum aliis, quæ in homine diuersa a brutis reperiuntur, collatis considerare vtrumque velimus, utique discrimen aliquod deprehendemus. Quemadmodum enim in homine præter illum appetitum datur voluntas, & quæ hanc determinat, ratio; qua utraque animalia destituta obseruantur: ita cum eligendi libertate is semper est coniunctus, eoque maiori, quo maiorem, ut ceteris animalibus præstaret, aliquis operam dedit; cum e contrario bruta appetitus quasi cum impetu rapiat. Deinceps etiam mirum quantum differunt pro sensuum & imaginationis diuersis viribus, & aliis rationibus: sicut etiam in diuersis hominibus pro illa diuersitate admodum sæpe diuersi obseruantur. Inde est, quod longe accuratius & minori opera dignoscere sibi nocitura ab utilibus quædam animalia instinctu suo, quam quidem homines appetitu suo sensitivo possint; nisi hi rationis vires omnes in subsidium trahant. In qua tamen re non parum etiam momenti habet, quid in brutis imaginatio & sensus raro
ita

ita attriti & sinistro vsu corrupti sunt, quam in hominibus, & minus proinde illa in errorem abripiantur. Accedit tandem, quod in hominibus ratio magis minusue deprauata, vel aliis de causis alia subinde suadens, appetitus sensitiui effectus sæpissime sufflaminet; ut idem ab illo expectare commodum nequeant, quod animalibus, solo hoc duce regendis, instinctus præstat.

§. VI.

An ergo appetitui sensitiuo boni quippiam inest? Annon potius malus semper est suafor? Vidimus certe eum grata magis, quam vera bona, seu ea, quæ nos statumque nostrum perfectiorem reddunt, suadere; idque sine cognitione vera, non ratione, sed sensibus & imaginatione tantum vtentem; imo experientia docet, his adhibitis eum ministris animum rapere potius ac cogere, quam inuitare; & quæ tristioribus exemplis discimus, maximam hominum partem, & interdum etiam optimam, ita in transuersum agere, ut illi semper fere, hi, etsi sæpius meliora videant probentque, deteriora tamen sequantur; verbo: esse mali omnis in hoc terrarum orbe auctorem. Utcunque sit. Habet tamen id boni appetitus sensitiuus, quod sensus & imaginationem excitat, quod attentam animam facit ad sibi oblata, & quod vel spe fruendi cupido, vel ipsa fruitione eam reficit. Quo ipso vigor & alacritas in uniuerso corpore excitatur. Ex quo apparet, non omnia, quæ vel imaginationem vel sensus nostros oblectant, mala; multa eorum sæpe etiam bona esse. Pertinet enim ad status nostri perfectionem, animam & corpus vigo-

rari interdum & alacritate augeri. Quæ res quantum præsertim ad sanitatis conseruationem & morborum curationem habeat momenti, experientia norunt Medici, & qui animæ & corporis indolem perspexerunt, rationibus explicare sciunt. Sunt ergo, quæ appetitus sensituius desiderat, sæpe bona. Quin imo ille semper bonus est, dummodo recte a ratione regatur; ne ad noxia & vetita deflectat; aut bonis ipsi propositis peruerse, aut ultra modum utatur. Quod in omnibus affectibus ita se habet. Fiunt enim & hi applicatione mala mali: cum in se spectatis nil mali inest, ac qui, si debite semper dirigerentur, vitæ condimentum & præcipuum quoddam auxilium forent.

§. VII.

Cum ergo appetitus sensituius in se semper bonus sit; cum animam & corpus excitet, vigoret, & alacritate augeat; & proinde in sanitatis conseruatione & morborum curatione maximi momenti sit, illo recte uti: (§. VI.) apparet euentissime, quam plurima eundem & ægro & Medico promittere comoda; si modo, prout decet, uterque prudentem ipsius curam gerere norit & velit. Atque hac prima ratione utar, quare ægrorum interdum appetitui indulgendum statuam. Quam grauis illa sit, norunt ex vulgo etiam, qui ægris assident, quique nil sæpe magis optant, quam vt appetitus sensituius singulari quadam ratione in illis se exferat; utque id fiat, variis sermonibus eum prouocare student; eoque factò statim meliores spes, nec semper frustra concipiunt. Medicis autem notum est, progressum sanguinis

nis

nis ita mox accelerari, quid ipsis pulsus celerior vel plenior factus confirmat, secretiones, excretiones & in primis sensibilem transpirationem, imo omnes functiones corporis promoueri. Quæ omnia ad morbum superandum expectatissima præsidia sunt.

§. VIII.

Quemadmodum autem appetitus animum & corpus excitat: ita si indulgetur ei, sed ex modo, tranquillitas rursus in illa, & corpus ad debitum temperamentum redit. Quod functionum omnium exercitium moderatum subsequitur. Succedit ergo in ægris illud tempus, quo remedia omnia adhibita saluberrimo cum effectu applicantur. Agunt enim plerumque non melius, quam si vires eorum nulla alia vehementia turbantur, neque animi & corporis languor illis officit. Accedit rationi ei noua hæc alia, non exiguam considerationem merens, quod si nimirum Medicus interdum ægrorum appetitui ea, quæ præsertim anxie vel valde desiderant, indulgeat, in reliquis eo obsequentiores illos habere soleat: ut proinde damnum, si quod forte simul ex eo ortum fuerit, facile deinceps reparare queat. Sin morose semper eorum appetitui reluctetur: vel nullis eius hortationibus & præscriptionibus locum concedunt, vel clam nimium illi & sinisterius ipsi indulgentes reliqua omnia bene disposita pessime sæpe turbant. Ni id faciant, angitur tamen multorum animus vehementer, vel grauibus affectibus varie urgetur; quæ res vel optimam cetera methodum in curatione adhibitam, & præstantissimorum remediorum effectus peruertere potest.

§. IX.

Sed placet naturam appetitus sensitivi, & quid is boni præstare sæpe queat, paulo altius rimari. Oritur ergo is ex sensatione una vel pluribus, seu perceptione confusa, quæ ipsa nos de corporis nostro statu admonet ita, h. e. confuse, recte tamen sæpe & melius omni ratione. Sic in statu naturali fames & sitis e. g. docent, ille quidem, corpus indigere nutrimento, & Medicos præterea, ventriculum & intestina succis acris stimulantibus, interdum etiam copiosis referta esse, & reliquos etiam acriores fieri incipere. Qui ergo omnes temperandi sunt: quemadmodum reparari conuenit, quod boni nutrimenti e sanguine secessit. Utrumque cibus conueniens præstat. Eadem humorum acrimonia & defectus aquæ in illis causæ naturales sitis sunt. Quæ ergo de potu recte admonet, & nisi appetitus hic deprauatus vel aliis assuefactus sit, de genere potus, aquoso nempe; ad quem etiam animalia bruta instinctu suo solum feruntur. Eadem sitis aucta & sæpe clamosa, ut vocatur, in ardentibus & biliosis febribus aqua multa, quam desiderat restinguenda inter indicantia optima numerari meretur; siquidem acres humores, bilis in primis, illa egregie temperantur; iidem sic diluti statim minus opportuni sunt, & quicquid forte substitit in visceribus, resolutum inde aueritur. Adest in iisdem febribus acidorum magnus appetitus tam potulentorum, quam esculentorum; quæ ipsa & bilis acrimoniam temperant, & contra humores reliquos alcaliscentes nimis, vel sulphureos factos non parum profunt. Efflagitat in iisdem

dem

dem & aliis febribus color nimius corporis interdum admissum aëris nonnihil frigidioris, qui etiam, quicquid obsoleta multorum praxis obiicit, salutariter, nisi in modo excedatur, ægris tum cedere, & ratio dictat, & ratio confirmat.

§. X.

Nullum mihi est dubium, hoc appetitu solo iudice, sine ullo, vel magno rationis auxilio, homines primæuos alimenta maxime necessaria & congrua reperiisse: non secus ac animalia bruta ad hunc usque diem pleraque eorum illo indice reperiunt; adhibitis tamen in consilium exploratoribus sensibus externis, gustu præcipue & olfactu, sæpe ipsis sensationibus appetitui satisfacto succedentibus. Atque hac ratione multi hodieque, præsertim temperantes homines, naturæ suæ maxime conuenientia satis recte a minus salubribus discernere norunt: sicut e contrario fastidium, quæ *ιδιοσυγκρασίη* quorundam repugnent, sæpissime indicat. Fit ex hac causa, quod natura, ceu optima morborum medicatrix, sub initium, atque interdum etiam in progressu multorum morborum, maxime febrium acutarum, fastidium ciborum, in primis carniū, pariat. Id nempe tunc agit, ut tempus & occasionem nanciscatur, hostem corpori ruinam meditantem, nullis aliis subsidiis, seu alimentis instructum, tanto expeditius debellandi; utque ea præsertim e. g. carnes vitentur, quæ humorum massam, ut antea dixi, (§.IX.) magis corrumpere queant.

§. XI.

Quæ ut recte fastidio excitato molitur: ita licet
sæpius

sæpius obseruare, multis auxiliis diu nequicquam adhibitis, naturam modo, quem §. IX. explicauimus, insolentem quendam ciere appetitum; eoque & Medico & ægro consilium suppeditare, quid factu ipsis opus sit, quo pertinacia morbi tandem vincatur. Cui quidem ex vano tum aliquo se præiudicio opponere vellet, idem foret, ac si quis in prærupto monte constitutus, unde non aliud, quam in oceanum, vel in obscuram abyssum ferri iter videret, viam, qua salutem quærere possit, monstranti vili & ignoto homini aures oculosque occludere vellet; vel bestiam forte se ducem offerentem sequi recusaret, ab hac unice causam, quod ea destituta ratione consilio agere nequeat; vel si quis in deserto præ limpidarum aquarum inopia siti fere confectus ex stagno non admodum turbido forte deprehenso bibere, suadente licet magnopere appetitu & ipsa necessitate, nollet ob eam rationem, quod eius aquæ salubritas non satis ipsi explorata. In progressu vero huius dissertationis, quam admirabilia sæpe huc ratione præstiterit natura, luculentis speciminibus adductis ostendam.

§. XII.

Haud equidem cum Platone (*) superflua & inutilis Medicorum diligentia existimanda est, qui in morborum curatione ea minime omnium negligenda esse iudicarunt, quæ diuersis ægrotis quoad regimen & diætam conuenire, vel obesse, multa experimenta docuissent, & qui ab eo rigore non facile discedunt. Sunt enim quæ Plato hac de re disputat, notioni, quam sibi de absolutissima sua reip. forma formaue-

rat

(*) Lib. III. de rep.

rat tantum superstructa. Neque eorum etiam Medicorum mores valde laudandos existimo, qui ut magis se in ægrotorum animos infinent, in omnibus cubantium luxuriæ sibi subscribendum statuerunt. Quam enim periculosa sæpius nimia voluptas esse soleat, is ipse Asclepiades, qui tamen præ reliquis Medicis magnam ejus in curationibus rationem habuisse memoratur, probe perspexit; adeoque parum perpetuo, quæ promitteret, habuit, ut præceptorum ejus gnarissimus, & admirator imprimis, Celsus, (*) rectissime obseruet, primis morbi diebus eum tortoris vicem exhibuisse; adeo summo opere falli, qui per omnia jucundam ejus disciplinam esse concipiant. Id modo assero, illis regulis, quas de conuenienti in morbis diæta & regimine præcipiunt Medici, adeo tenaciter & scrupulose minime inhærendum esse, quin ægrorum appetitui, præsertim si aliter hi in officio retinere nequeant, aliquid dandum sit.

§. XIII.

Obseruauit utilitatem hujus rei in morborum curationibus Sydenhamus, Medicus, si quis alius, experientissimus. Commendat ergo illam his verbis: *Unde mihi subiit cogitare, quanto sæpius fucum nobis faciat illa, quam talem esse opinamur, ratio, quam sensus iste certissimo nobis cognitus, quodque in morborum curatione plus dandum est appetitionibus & desideriis impensioribus, (modo perquam enormia non fuerint, & que vitam ipso facto extinguant,) quam magis dubiis ac fallacibus medicæ artis regulis.* Me-

C

ren-

(*) L. III. cap. 4.

rentur legi & expendi, quæ sequuntur hæc in dissertatione epistolari ad Guilielmum Cole, adjuncta Sydenhami Operibus medicis. (*) Dico: expendi. Agit enim hic is exemplo Empiricorum omnium generis, qui, ubi in exercitio operum suorum noui quippiam detexisse sibi videntur, mox in rationem inuehuntur, & reliqua omnia præcepta cum nouis suis opinionibus minus conuenientia pro fallacibus habent: etsi illa non aliam plerumque, quam hæ originem agnoscant, seu itidem visa practica sint, nec minus fallacia. Quod hoc ipso exemplo discere licebit. Quando enim paucis aliis interjectis ita pergit: *in his omnibus naturæ, ut videtur, oberrationibus quilibet in praxi medica vel mediocriter versatus, modo animum diligenter aduerterit, facile concedet, egros haud paucos, ubi primum, spreto Medici dictamine, genio suo obsecundauerint, se melius habuisse; quid quæso in hac fermocinatione lector reperiet, cui satis secure fidat? Num suo potius semper, vel quando genio obtemperabit, quam Medici præceptis; ob eam causam, quia haud pauci prius consilium secuti melius se habuerunt? Quid sibi ergo omnino cum Medico & præceptis salutaribus rei esse decernat: si audiat, vel videat, non paucos sine utrisque ad multam senectutem peruenire.*

§. XIV.

Saluus itaque sit rationi suus honos, quæ si nil aliud, certe tam prauè non argumentari docet; valeant probe a ratione excogitata præcepta, dummodo cum recta ratione agendis rebus applicentur. Quod ergo, ut in proposita re maneamus,

ex-

(*) p. 394. Edit. Genev. in 4to.

experientia adhuc docuit, bene nunc, alias male ægris euenire, quando appetitui suo indulserunt: id non incognitum sibi ratio explicare nouit; vel, si nesciat, inuestiget ejus diuersitatis causas. Quo neglecto monito ægris tam nocere, quam prodesse Medicus indulgentia sua potest. Quotiescunque hinc appetitus insolitus, vel quicumque nouus in ægro, cum reliquis curationum præceptis pugnare videtur: appetitus indolem & rem appetitam cum ægri statu & reliquis circumstantiis curate conferat; ut ægro dicere queat, prauus, an bonus index appetitus ejus sit, & quomodo tractandum eum habeat. Nisi melius iudicet, tesserarum iactu explorare, quid potius sequendum sit.

§. XV.

Sed satis fit rationum & ratiociniorum in argumento medico: ne hominibus Philosophiæ parum gnaris ansam præbeam, ejus usum in medicina etiam traducendi, vel de medicina quadam philosophica alia vana & ægra sibi somnia fingendi. Incipiet ergo nunc dissertatio nostra magis practica fieri, & casus interdum in terminis sistet, docentes, quid ægri appetitu sæpe præstitum sit boni: partim, ut ita quoque multorum appetitui, nisi is perturbatus jam sit, satisfiat; partim, ut alii intelligant, non esse sine exemplis, quæ de illius usu in morborum præsertim curatione dixi. Disponam vero observationes secundum classes præcipuarum rerum, quæ appetitum ad se alliciendi facultatem quandam habent: interdum, illarum loco, Medicorum effata ab iisdem deducta, allegaturus. Incipiam ab alimentis.

§. XVI.

Alimenta æque necessaria sunt ægrotis, ac sanis: ut corpus reficiatur atque nutriatur. Non tamen quotidie in morbis illorum usus requiritur; neque appetitus semper cibos efflagitat. *Initia morborum famem sitimque desiderare*, Celsus ait. De fame id certum est, his præsertim hominum moribus, quando plerique morbi e victus intemperantia oriuntur; quos nouo augere non conuenit: ut alia inde prouenientia mala nunc non allegem. Quare efficacissimum contra multos graues morbos remedium, sub horum initium inedia esse obseruatur. Quam olim illi fisci sint Methodici & alii etiam Medici, ex Celso (*) discere licet: cuius curandi methodi, ab illis desumptæ, cardo præsertim in eo vertitur, ut non prius, nec alius, quam conueniat, ægris cibus exhibeatur. Quam in acutis morbis maxime obseruationem necessariam esse, iidem docent, & ratio suadet; ob eam causam, ut, dempta materia, impetum morbi frangere inedia valeat: quæ etiam tum sustineri magis potest. Cum enim acuti morbi vel cito hominem tollant, vel ipsi cito finiantur, viri-umque in illis satis superque plerumque adfit: magnum ex subtractis alimentis incommodum metui nequit. Quod ad alterum morborum genus, chronicorum attinet, alia ratio est. Neque enim ipsa morbi diuturnitas semper inediam patitur; & vel ideo etiam, monente Celso, (***) maturius alendus æger est, ut spatium duraturi mali sustinere queat

(*) Vid. Lib. III. Cap. 2. 4. 5.

(**) Ibid. Cap. 2.

queat. Quare nec in eorum plerisque natura tantum ciborum fastidium, quantum in acutis, excitare solet. Interim & ratio & experientia docent, non quæuis alimenta cuicumque ægro conuenire; sed cum cura feligenda esse in quouis casu, quæ vim morbi non augeant, sed minuant. In quibus recte conquirendis & exhibendis maxima medicinæ pars, quæ diætetica olim appellata fuit, occupabatur.

§. XVII.

Sed, ut verâ ea omnia sunt, & sanitati suæ ægri plerumque melius consulunt, qui appetitui suo ciborum modum statuunt: ita & huic, si magnus, vel insolitus hic sit, interdum non adeo morose obuiam eundem esse arbitror; ex rationibus supra adductis. Autorem vero huius consilii habeo etiam Hippocratem. (*) *Quoscunque cibos aut potus ægroti concupiscunt, inquit is, exhibeto, si non corpori inde damnum accessurum est.* Quin ulterius adhuc ille nonnunquam progreditur, & paulo deteriorem & potum & cibum, verum iucundiores, melioribus quidem, sed iniucundioribus præferendum esse censet. (**) Huius sententiæ subscribentem supra vidimus Sydenhamum, (§. XIII.) qui & absurda interdum ægris vult concessa. Uterque experientia edoctus ita pronunciat. Sed suppeditat eadem rationem facilem, cur ita agere conueniat. Sumta nimirum cum appetitu, insigni præsertim, quantumuis etiam incongrua, facilius a ventriculo digeruntur, quam optima alimenta, cum fastidio, aut certe sine appetitu ingesta; vel, ni digeri illa queant, aut di-

C 3

gesta

(*) De affectionibus § 42. Edit. London.

(**) Aphorism. 38. Sect. II.

gesta corpori admodum profint, facilius ex hoc expelluntur. Quæ omnia tamen plenius intelliguntur ex humani corporis œconomia. Unde generalem rationem deductam iam §. (VI.) paucis indicaui.

§. XVIII.

Non est opus, ut multis adductis singularibus exemplis confirmem, quid ægris talis appetitus in morbis profuerit. Et extant ea passim, ac in omnibus fere morbis. Multa etiam vulgo nota sunt, ut curatæ a lardo auide sumto febris tertianæ. Afferam tamen hic unum alterumque. Hypochondriacus quidam non contentus cibum potumque interdum aliquoties assumere, noctu etiam semper, circa horam primam, maiori adhuc edendi desiderio tenetur, & nisi cibum impetret, tuberculum ei in cordis scrobiculo enascitur, adeo dolens, ut lipothymiam concitet. Coniux igitur tantum malum in marito ut deuitet, semper cum placentæ frustulo se in lectum recipit; quo, vel alio exiguo cibo allato, cessant illa omnia & somnus placidus succedit. (*) Non minus, quam hoc, notabilia sequentia sunt. Docuit experientia multiplex, uuarum recentium & musti multum usum, diarrhœas vel dysenterias periculosas prouocare: ubi autem mala hæc iam adsunt, non sine maximo damno plerumque illas res sumi. Memorantur tamen in Ephemeridibus naturæ curiosorum (***) exempla duarum fœminarum, dysenteria fere consumptarum, quæ post vehemens recentium uuarum desiderium, harum esu, reiectis omnibus aliis

(*) Vid. Salmuth. Obs. med. X. Cent. III.

(**) Decad. II. Ann. & Obs. 192.

aliis remediis, refectæ, & sanitati restitutæ fuerunt. Quibus & tertium additur iuuenis, qui incipientem dysenteriam musto profligauit. Merentur tamen cum his obseruationibus conferri, quæ citatis locis in illis Ephemeridibus ad eas annotata sunt; ut cum ratione similibus exemplis uti discamus.

§. XIX.

Quod ad potum in specie attinet, notum est, in febribus, maxime ardentibus, frequentem eum, & quidem frigidum ægros desiderare; adeo, ut abstinentia ab illo plurimis morbo ipso intolerabilior videatur. Est vero non minus notum, multos olim & recentioribus Medicos in illis morbis frigido, & nonnullos omni potu ægris durissime interdiceret. Vix capere queo, illis omnibus quid in mentem venerit, quare homines, eo solatio & auxilio denegato, tam sæuiter excrucianos putauerint. Sustulit eum rigorem recentius præsertim Sydenhamus; ex ea, ut videtur causa, quod appetitui, hic bene monenti, indulgendum esse existimauerit. Quare febricitantibus aquam, cereuisiam tenuem, hydrogalam, ptisanas tenues & similes potus, sæpe etiam frigidos, nec adeo parce concessit. Intelligimus hodie rationes, quare in febribus, præsertim iis, ubi calore omnia in corpore exusta sunt, & ægri proinde potum maxime, interdum eum frigidum desiderant, is proficiat illis, earumque aliquas (§. IX.) memorauimus. Videmus vero etiam, tum e veteribus Medicis præstantissimos, uti Hippocratem, Celsum, Galenum, tum e recentioribus præclaros Viros, frigidi potus usum in febribus aliisque interdum morbis ex multis causis valde com-

men-

mendare; (*) adeo, ut niuatum eum etiam cum egregio successu adhiberi doceant. (**) Accedit vero ad rationes, quare frigidus potus in multis morbis concedendus sit, & ea maximi momenti & huius loci; quod nullum symptoma ægros multos magis excruciare solet, quam sitis. Quare hac, si magna sit, non restincta, reliqua omnia ingrauescere & medicamentorum vires impediri solent. Legantur, quas de illius effectibus obseruationes mirabiles, sed horrendas, sub titulo: sitis ultimum supplicium Libro III. Obseruatione XXXIX. affert Pechlinus. Ad- dit hinc: *Atque ex illo religio mihi fuit, potu, quamuis deteriore & in speciem nocituro, modo votis & precibus rogaretur, sitientes prohibere.* Quoties ergo accidit, ut ægri, solatio & leuamine hoc ipsis duriter a Medicis denegato, deinceps, valere iussis omnibus aliis medicamentis & consiliis, illo ab aliis accepto, ex orci quasi faucibus eripiantur?

§. XX.

Meminit Exc. Dn. Præses huius dissertationis inter multa alia exempla huius rei, ægri, cui ab angina graui fauces adeo præclusæ erant, ut nil admitterent integro biduo; sed qui ab ingesta, quam sitis vehementissima efflagitauerat, frigidissima cereuisia, cum dolore quamuis notabili, breui tempore vires, animam & sanitatem recuperauit. Aliud memorandum occurrit in Ephemer. Nat. Curios. (***) Laborabat quidem febr

(*) Vide inter alios Ill. Frider. Hofmannus in dissert. de potus frigidi salubritate.

(**) Vid. Lancisii & Ramazzini Opera.

(***) Decad. II. Ann. IX.

febri continua cum forti dysenteria. Nil profuerant
 medicamenta & morti vicinus erat. Siti adeo inex-
 plebili vexabatur, ut loqui fere non posset. Petiit a
 Medico, ut sitim largo hausto aquæ Nocerianæ fri-
 gidæ extinguere posset. Permisit is, ut aquam ad
 plures cyathos biberet. Quo facto, cessarunt omnia
 symptomata, & æger contra omnium spem evasit.

XXI.

Non minus ægris supplicium sæpe exhibet ca-
 lor, quam sitis; quæ ab illo plerumque producitur.
 Sed mos non minus barbarus ante non multum tem-
 pus multorum Medicorum adhuc fuit, & etiamnum
 quorundam est, ægris refrigerium aëris tantopere
 expetitur denegare: contra vero omnia agere, ut
 ex igne quasi flamma excitetur. Onerant illos ergo
 stragulis multis ad aures usque, conclavium omnes
 aditus obthurant, ne quid prorsus externi & frigi-
 dioris aëris eos contingat; sique autumnus vel hy-
 ems sit, fornacibus ignem deficere non sinunt. Et ne
 interius peccare in aliquo videantur, aut calor, vel
 ignis vitalis forte extinguatur, bezoardicis & alexi-
 pharmacis calidis, ac salibus volatilibus oleosis, u-
 trumlibet indefinenter fouent. Procedunt ita præ-
 fertim in exanthematicis febribus; ut in his virus et-
 iam omne e corpore ad superficiem expellant. Ex
 qua tortura mirum est aliquos ægrotorum salvos e-
 vadere. Credibile vero est, id fieri, quod neglectis
 illi Medicorum præceptis, & his absentibus, appetitui
 suo remedia ipsi quærunt. Enimuero medicina a
 ratione probe instructa omnia illa consilia & moli-

D

mi-

mina pessima & quædam eorum publice interdicens esse docet. Resoluit enim calor immodicus integrum corpus, succos omnes corrumpit & acerrimos reddit, vires destruit, anxietates auget, materiam in exanthematicis febribus peccantem per cutim expelli non permittit, interdum impetuosius fugat hinc, vel prorsus ad caput amandat, ægrique animum ita afficit, ut motus omnes in corpore perturbentur. Quæ omnia pessimis symptomatibus occasionem & causas subministrant.

§. XXII.

Sinamus ergo in principio saltim morborum, exanthematicis febribus non semper exceptis, interdum etiam deinceps, extra lectum ægros degere: si quidem id velint, si vires id patiantur, & mens ipsis constet. Quando autem lecto prorsus addicendi sunt, contegantur modice; nec interminemur iis semper, si partem tegumentorum reuoluant, aut interdum finu, cui diutius inhæserunt, se extrahant. Concedatur iis, quem tantopere anhelant, aër temperatus, interdum nonnihil frigidior. Mutetur etiam is subinde; ne exhalatos e suo, vel aliorum corporibus vapores cum hesterno, vel vetustiore aëre resorbere cogantur: certe, ubi illis oppressi aërem nouum anxie desiderant. Renouetur aër in principio febrium exanthematicarum interdum; ut exire exanthemata e corpore, pars etiam malignæ materiæ e cutis poris plane exhalari queat. Fiat idem circa febrium earum finem etiam; ut subtilis & peior pars delapsæ materiæ, quæque adhuc alia ad cutim amandatur, spatium in renouato aëre inueniat,

niat,

niat, quo discedere queat, cumque hoc deinceps abeat. Debemus vero partem non exiguam hujus praxis, quoad aëris regimen, aliquoties iam laudato Sydenhamo; & debent ejus institutis ab eo tempore multa hominum, qui præsertim variolis decubuerunt, millia vitam suam & sanitatem. Adhibuit autem is regimen hoc non in variolis solum, sed etiam in febris erysipelatosa, scarlatina, ipsaque petechiali & miliari, pleuritide & aliis, fausto cum successu. Sed ut non immerito is succenset Medicis aliis, instituta sua hæc taxantibus: ita non debuit cum ratione altercari, quasi hæc iis aduersa sit. Quid enim ad rationem & theoreticam medicinam in genere istud pertinet, si multi Medici recte ratiocinari non didicerunt, nec eas disciplinas rite edocti fuerunt, quæ ratiocinandi in medicina principia suppeditant? Favet omnino, favet ratio novis illis institutis Sydenhami, vel ipso inscio. Recipit vero etiam sana theoria lubenter ab Empiricis, quæ forte melius obseruarunt, vel instituerunt: non curans, sua ab his fastidiri, neque amari, nisi quæ praxin meram sapiunt, vel pus & cetera olent. Qua occasione tamen obiter moueo, non videri mihi Sydenhamum tam prorsus male a theoria instructum, ut Empiricorum turbæ se immiscendum habuerit.

§. XXIII.

Placet nunc, & his obseruationibus de aëris refrigerio, ægris interdum concedendo & proficuo, subiungere exempla quædam singularia ægrotorum, qui eo solamine auxilium magnum & salutem repe-

rerunt. Chirurgus in Norwegia ardentissima correptus feбри ad extinguendum, quo totus fere combustus erat, æstum sitimque, niuem ea nocte delapsam colligit, & auide plenaque manu ingerit; fricando ea quoque manus pedesque; eaque ratione conualuit. (*) Centurio quidam febre ardente decumbens, & caloris torrentis impatiens, commilitones aceruum graminis virentis in conclaue afferre iussit, in quo se totum abscondidit, atque aliquamdiu dilituit. Habuit inde se melius, & aliquoties renouato eo remedio, non ita multo post conualuit. (**)

Religiosus podagra maxime affectus, doloribusque sæuis cruciatus, ex desperatione aquam gelidam postulauit, eaque impetrata pedes perfudit. Euasit hinc paucas post horas liber a dolore, & fluxio podagrica euauit. (***) Conferri cum hac obseruatione potest alia de podagra, apud Pechlinum, (*) & de ophthalmia niue curata, in Ephemeridibus Nat. Curios. (**)

qui tamen posteriores casus ad nostrum censum proprie non pertinent, nihil quippe in iis suadente appetitu.

§. XXIV.

Ad appetitum sensitium pertinet quam maxime amor sexus alterius. De quo antequam dicam, de amore in genere quædam adhuc præmittenda sunt;

(*) vid. Christ. Francisci Paullini Obseruat. Medico-Phys 24, additam Ephem. Nat. Curios. Dec. II. Ann. XI.

(**) ibid. ex Lyseri Obs. 4.

(***) Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Ann. X. Obs. 94.

(*) Obs. 28. Lib. II.

(**) ut paulo ante, Obs. 96.

funt; cum tam diuerſas res ille vulgo denotet, deque eo nil certi pronunciare liceat, niſi intelligatur, de qua eius ſpecie & forma quæſtio fit. Quod in hoc præcipue negotio attendendum eſt, quotieſcunque dubitatur, an indulgendum ei, vel reluctandum fit. Eſt ergo prima amoris ſpecies, quam Præſes huius diſſertationis definit mentis inclinationem verſus rem, perfectionibus huius excitatam. Quæ perfectiones ſi in virtutibus conſiſtunt, favor iſ affectus ab illo dicitur. Appetitum vero vocat fortem & inquietam inclinationem verſus rem, quam intellectus ceu bonam repræſentat. Excitant hæ amoris ſpecies animum & corpus. Quare non modo indulgendum iis eſt, ſi in ægris obſeruantur; ſed ſæpius etiam hiſ offerendæ ſunt occaſiones, quibus eadem prouocentur. In qua re, ſi prudenter ea geratur, magnum curationum momentum poſitum eſt: ſicut nil ſæpe magis aliorum remediorum effectus bonos, quam contrarii illis affectus ſufflaminant. Cautius tamen aliquanto cum appetitu, quam cum amore illo ſimpliciori agendum eſt: ne repræſentatio magni alicuius boni animam, & hinc corpus nimium turbet. Sed vehementius mentem & corpus plerumque ſtimulanti appetitus, de quibus ſupra actum eſt. Quare maius moderamen poſtulant: ut ut boni ſæpe multum, quemadmodum hætenus vidimus, illis ad morborum curationem effici queat. Iam vero huius ſenſitiui affectus etiam ſpecies quædam eſt amor ſexus alterius, vel certe ille cum hoc coniunctus eſt. Intelligo autem hic eum ſexus alterius amorem, cui excitando & regendo Poëtæ Cupi-

dinem suum olim aduocarunt, & cui tot carminum volumina cum posteris suis dicauerunt. Potest is prouocari perfectionibus sexus alterius, potest augmentum capere ab obseruatis virtutibus, ac si ratio illum, ut debet, regit, utrisque potissimum alitur. Quæ vero dum aguntur, sensus & imaginatio excitant appetitum sensitium, sine quo in herba, ut ajunt, ille suffocatur. In multis vero ab hoc sensitio appetitu ortum suum unice & vitam omnem habet. Iam quæritur, quid cum amore hoc in morbis corporis faciendum sit? Nam animum eo ægrum aliis nunc curandum permittamus. Docuit vero experientia continua ab omni ævo, illum, nisi ei indulgeatur, vel ratio officium suum debite faciat, non modo varios eosque graues admodum producere morbos; sed hos etiam, si aliunde prouenerint, interdum multum augere, vel saltim nonnunquam e longinquo, vel propius se in iis ostendere. Eadem docuit experientia, multos ex illis, qui sic decumbunt, non aliter, vel melius conualescere, quam ubi appetitui ipsorum indultum fuit.

§. XXV.

Inclaruit tali olim occasione Erasistratus, magni deinceps ob alia merita nominis Medicus. Obseruauerat is ex pulsu & aliis signis, principem juuenem Antiochum non tam alio morbo, quo quidem gravi consumtus fere erat, quam amore nouercæ suam laborare. Aperit eam rem Seleuco, Patri principis. Concedit hic filio uxorem, & æger cum

cum ea sanitatem recipit. (*) Extat apud Tulpium exemplum iuuenis ex inopinata matrimonii repulsa catalepsi affecti. Erat vero is adeo rigidus factus, ut statuam potius, quam hominem repræsentaret. Vbi vero exclamabatur, cupitam habiturum amicam, modo ad se reuerteretur, profiliit confestim e sedili, & actutum ad se rediit. Sed minus forte illud habet admirationis. (**). Pestem vero, omnium morborum grauissimum, complexu amatorio curatam esse, id quidem incredibile videri queat. Legimus tamen aliquando historiam desperatæ talis curationis, factæ in amata a sponso, carmine elegantissimi horrende descriptam; sed ubi, iam non meminimus. Moderatiores eorum sunt cupiditates, qui a solo osculo morbi leuamen quærunt; neque curatio hic plerumque tantum habet periculi. Quam autem bene ea multis vero aliquo morbo laborantibus cesserit, exemplis ostendere, forte nil opus est. Qualia si quis videre gestiât, collecta plura reperire potest apud Kempium de osculis, capite præsertim XVIII. de osculo salutari. Sed ut pauca illorum ad nostram classem specialem referri queunt: ita unum, quod de Rudolpho I. Imperatore ibidem exhibetur, huc transferre liceat. Senio is confectus cum febre hæctica laboraret, non præsentius invenire se remedium dictitabat, quo corpus suum vegetius redderet, quam si animas dulces & suaueolentes ex ore puellarum hauriret. Ne ergo abstinentia Imperatorem consumi proceres finerent, præter illas, uxores

res

(*) Vid. Plutarchi Demetrius Cap. 49. 50. 51. Appianus de bellis Syriacis. p. m. 204. sqq.

(**) Lib. I. Obs. 22.

res etiam suas frequentius ei adduxerunt, unde spiritus osculis acciperet; quas ceterum honeste tractavit. Alias tertianas, quartanas & ardentes febres osculis curatas esse, Medici notarunt. Iam ut argumentum huius dissertationis ipsum ad hoc quoque appetitus genus me deduxit: ita, cum plus illa sanandi ratio considerationis, quam reliqua mereantur: pauca hac occasione monenda existimo, plura aliorum curis seponens. 1.) Ergo valere, ut alias, ita in morbis praesertim, debent praecipua honesti, decori, & ante omnia pietatis: contra quae neque a Medico, neque ab aegro in curationibus ulla consilia admitti velim. 2.) his probe observatis, videat tum Medicus, quid morbi ratio & aegri reliquus status efflagitet, vel permittat. 3.) Ut curae aliorum praesertim relinquendum habet, quomodo aeger in tali aliquo casu ad meliorem & quietiorem mentem reduci queat: ita ipse sciat, illa amoris remedia non omnium statui convenire; in plurimis vero malum exasperare. Quare tandem 4.) ad ea confugiat remediorum genera, quae intempestivos appetitus, & morbi causas, in corpore praesertim haerentes, aliter emendent.

§. XXVI.

Non sinunt termini huic scriptioni definiti de omnibus iis nunc agere, quae laceffere appetitum sensitivum in morbis solent; & de praecipuis illorum tantum me tractaturum promisi. Omissis ergo aliis de pica adhuc quaedam addam, grauidarum maxime affectu: qui, cum illae in aegrarum numero haberi soleant, inque iisdem multum saepe ab eo turbetur, attentionem hic quandam meretur. Est vero

pica

pica appetitus valde inordinatus, quo ad res insolentes, absurdas, vel certe intempestiuas fœminæ feruntur. Non est opera facilis, res illas omnes enumerare, quas illum semper pro obiecto habuisse historiæ medicæ docent. Si colligere eas in unam summam placet, constituet hanc quicquid sensus externos, (*) vel sensationes afficere potest. Est vero idem affectus sæpe tam vehemens, ut nisi indulgeatur illi, grauissimæ inde turbæ indiuiduales, domesticæ ac interdum publicæ timendæ sint. Quare ei resistere, vel non concedere, aliis religio debet esse; & castigati aliquando sunt, qui os suum, vel barbam(**) pugnæ, vel etiam partem carnis suæ (***) dentibus grauidarum dilaniandam, & vel deuorandam patienter præbere recusauerunt. Quare video, & mihi caute de appetitu adeo delicato statuendum esse. Quod paucis faciam. Et 1.) quidem liceat mihi nonnihil dubitare, an is appetitus sit grauiditatis effectus, quod multi existimant. Neque enim solum nullam video rationem, quare grauiditas in se producere eum debeat: sed etiam satis constat, quam plurimas grauidas eum minime noscere; eas præsertim, quæ alios suos appetitus olim regere didicerunt. Sed finamus rem ex alio fonte plerumque ortam, vocabulo innocuo tegi. Utcunque etiam 2.) sit, si res expetita sit innocua, parabilis non adeo difficili opera, neque sanitati valde aduersa, indulgeatur sane appetitui ægro. Liceat ergo nonnullis ad campanarum fo-

E num

(*) Exempla vide in Misc. Nat. Cur. Dec. II. A. VIII. Obs. 17.

(**) Vid. Salmuth Obs. 41. Cent. I.

(***) Huius appet. exempl. vid. in M. N. C. Dec. I. Ann. II. Obs. 209.

num parere; (*) si, ut legimus, aliter nequeant, & eo usque partum differre, vel illas pulsari iubere queunt. Quodsi aliis negotium non succedit, nisi prius acceptis alapis, multas certe excogitare queunt occasiones, quibus beatis ipsis esse liceat: ut minime opus sit, cum maritis ob eam causam rixari, & officium quoddam inofficiosum ab iis extorquere.

3.) Attentione ad omnes circumstantias facta, explorandum diligenter puto, an ipsi in utero gestanti, vel foetui periculum afferre res desiderata, neque illud periculum aliter tolli possit. In quo casu nil ipse permetterem, sed, dato blando monito, & denunciatione futurorum inde malorum facta, suo genio ægram interim relinquerem.

4.) Appetitus depravati fons, seu ex animæ, seu corporis statu is scaturiat, diligenter explorandus est: ut vel illum mature obstruere, seu impetum arte aliorsum deriuare liceat. Reliqua prudentiæ illorum, quorum interest, ne pica noceat, permittenda sunt.

(*) vid. Obs. primo loco ad hanc §. citat,



CO-

COROLLARIA.

I.

Sub morborum initium & in acutis non facile appetitui ægrorum indulgeatur: nisi bene, vel certe non male suadere eum, status corporis ægri cognitus doceat.

II.

Huius status semper Medico habenda est ratio, nec illi manifeste contraria unquam concedenda.

III.

In casu desperato uti anceps, quam nullum experiri remedium, præstare Celsus affirmat: ita præsertim ab appetitu indicatum admittatur; nisi vitæ inde certum periculum metuendum sit.

IV.

Non diu, neque sæpe appetitui mos geratur. Sed post primam indulgentiam æger rectius moneatur, & aliis congruis remediis tractetur: nisi illam euentus bonus & ratio comprobauerint.

V.

Indulgeri appetitui eorum præsertim potest, qui temperate alias vixerunt: cum neque a sensibus, neque ab imaginatione adeo corruptum eum habere soleant.

VI.

Indulgendus e contrario sæpe iis est, qui immoderatus vixerunt: tum quia consuetudo, ceu altera natura, semper subito emendari nequit; tum quia eadem facilius fert alias nocitura.

VII.

Nunquam concedenda sunt turpia & moraliter mala.

VIII.

Quæ recte concedenda iudicantur, permittantur libenter, nec quasi nocitura, sed potius ceu egregiam operam latura.

E 2

IX.

Oportet sapientiam transferre ad medicinam & medicinam ad sapientiam. Hippocr. de decenti ornatu. §. IV, X.

Omnia, quæ ad sapientiam requiruntur, insunt in medicina: argenti contemptus, reuerentia, verecundia &c. Id. ibid.

PROBLEMATATA.

I.

Quid est τὸ θεῖον in morbis, Hippocratis sententia? An non satis hic declarat, multos sui temporis Medicos, vel quasi tales, hoc vocabulo ignorantiam suam texisse?

II.

Quo sensu Hippocrates optimus Medicus dici meretur?

III.

Reperire verum Medicum ante Hippocratis tempora.

IV.

An histrioni, tonsori, anui magis in Medicina, quam in Iurisprudencia, Philosophia, Theologia, aut Politicis tuto creditur?

V.

An circumforanea ars, vel histrionia tantum, vel frequentissime in Medicinæ quasi opprobrium exercetur?

VI.

Quare medicastris solis illas gratis facere non licet?

VII.

Inuenire rationes probabilissimas, in Medicina ea emendandi, quæ iure in ea taxantur, & iudicium eorum corrigendi, qui in taxandis multis ingenio suo abutuntur.

TANTVM.

GENEROSO DOCTISSIMOQVE VIRO IVVENI

MICHAËLI CLÖTZIO

ARTIS SALVTARIS CANDIDATO PRAESTANTISSIMO

INQVILINO ATQVE AMICO SVO DILECTISSIMO

S. P. D.

IO. NIC. FROBESIVS

PHILOS. D. EIVSDEMQUE AC MATHES. P. P. O.

Quam excelsum ac nobile, imo vero quam divinum *prudentis gratiosique medici* munus est, tam excelsis etiam propeque divinis instructos esse animi dotibus sapientiaeque studiis illos oportet, qui prudentes ac gratiosos sese praestare medicos, hoc est, qui digne ac laudabiliter versari cum in perdiscenda, tum et vel maxime in exercenda salutaris artis disciplina cupiunt. Quodsi enim *sanitatis prudentiam*, vel, ut planius dicam, sanitatem integram tuendi amissamque restituendi artem, *medicina* complectitur, perinde profecto videtur, sive quenquam *medicum*, sive *sagacem ac benignum valetudinis integrae custodem vel tutorem amissaeque restitorem* salutaveris. Valetudinem vero bonam rite tueri & confirmare fractamque seu debilitatam feliciter restituere quis quaeso poterit, nisi qui, quae nativa corporis universi singulorumque membrorum ipsius structura vel constitutio, quae temperatio vel natura, quinam usus, quae item valetudo bona atque adversa, quotuplices morborum species & causae, quae denique singulorum signa & remedia existant, penitissime noverit? Recte, nisi fallor, CICERO a) *medico diligenti*, inquit, *priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non*

F

solum

a) *lib. II. de oratore.*

solum morbus eius, cui mederi volet, sed etiam consuetudo valentis & natura corporis cognoscenda est. Neque aliter ipsi artis salutaris professores principes, nominatim GALENVS ac CELSVS, de medici virtutibus atque officiis iudicarunt. Sic enimvero nobilis ille medicorum Cicero & latinorum Hippocrates praeter cetera statuit: b) qui rationalem medicinam profitentur, haec necessaria esse proponunt, abditarum & morbos continentium causarum notitiam, deinde evidentium, posthaec etiam naturalium actionum, novissime partium interiorum. Similiter GALENVS praestantem, aut si mavis, prudentem ac gratiosum medicum existere neminem, nisi idem eximius simul philosophus sit, unquam posse, libro singulari atque apertissime demonstravit. c) Artifici autem in arte sua credendum esse, ubi vel maxime etiam dubia fuerint eiusdem pronuntiata, nemo facile ignorat, vel dubitat. Explanatius equidem ac pro ipsius argumenti dignitate hoc quidquid rei est, persequi dissertationis epistolaris angustia prohibet; haud incommodum interim neque ab officii nostri munere alienum arbitramur, paucis & quam fieri potest strictissime nunc indicare, quas demum virtutes seu facultates a philosophia expectare medicus, pro nativa disciplinae utriusque necessitudine, possit ac debeat.

Primo scilicet atque ante omnia I. luculentam cum ipsius corporis humani, a morborum quippe iniuriis vindicandi, tum ceterarum quoque rerum et causarum naturalium, noxiarum
pariter

b) *Medicinae libro I. in praefatione.*

c) Seorsim ac graece librum hunc Io. POSSELIUS Rostochii an. 1591. 4. edidit sub titulo: Γαληνου προτροπτικος λογος επι τας τεχνιας. Του αυτου, οτι αριστος ιατρος και φιλοσοφος, Galeni exhortatio ad discendas bonas artes. Eiusdem quod optimus medicus idem sit & philosophus: latine & cum animadversionibus eundem libellum hunc SIXTVS ARCERIVS an. 1616. 4. Franekarae in lucem exposuit sub titulo: CL. GALENI ad artium liberalium studium capessendum oratio adhortatoria, item, quod optimus medicus, nisi etiam philosophus, non sit.

pariter ac salutarium, *cognitionem* artis salutaris cultoribus *philosophia* eidemque copulata *matheseos disciplina* subministrat. Mortuorum enim corpora incidere, horundemque ac ceterarum rerum naturalium indolem ac vires scrutari atque explicare, ceu facere quidem anatomiae, physiologiae, chymiae ac botanicae doctores consueverunt, sapientiae magis, quam artis salutaris professioni datum a natura esse ac proprium videatur: si quidem morborum curationem seu medendi prudentiam a sapientia sive rerum naturalium contemplatione, HIPPOCRATIS exemplo, d) communique academiarum instituto, separaveris.

Alterum, idemque non minus egregium, vulgo licet neglectum, philosophiae in medicinam ac medicinae cultores beneficium II. *in penitiori mentis humanae notitia* positum esse existimamus. Mirificam enim adfectuum sive animi passionum, qua morbos, qua curationem, in utramque partem vim esse, nemo temere, nisi rerum omnium fortassis expers inque ipsa patria velut hospes, ignorat.

Haec medendi scientiam & medicum rationalem efficiunt. Medendi vero prudentiam sive artem medicique prudentis laudem ut quis consequatur, sane, praeter iustam exercitationem, III. *exquisita* etiam partim *experiundi*, partim *coniectandi* quoque facultas necessaria esse videtur. Haud exiguam enim, aut fortassis maximam artis medicinalis partem *coniecturalem* esse atque *experimentalem*, aequis rerum aestimatoribus, quique novorum ac dubiorum, vel & singularium paene quorumvis casuum conditionem norunt, tam utique exploratum est, quam quod maxime. Nec medici etiam *rationales*, empiricis quippe adversi, ceu recte animadversum est a CELSO, e) *inficiantur*, *experimenta quoque esse necessaria: sed ne ad haec quidem aditum fieri potuisse, nisi ab aliqua ratione, contendunt.* De *coniecturae*, sed eius tamen *rationabilis*, in

d) vid. CELSVS in *medicinae praefatione* superius laudata.

e) *ibidem*.

medicina necessitate sic fere idem auctor saepius citato loco statuit: *ratione opus est medicinae, si non semper inter obscuras causas, neque inter naturales actiones, tamen saepe. Est enim haec ars coniecturalis, neque respondet ei plerumque non solum coniectura, sed etiam experientia.* Coniectandi atque experiendi artem vel promptitudinem exercitatio, fateor, subministrat: artis vero praecepta cum exemplis atque exercitamentis maxime commodis philosophiae rationali sive logicae accepta referenda sunt. Esse igitur ars salutaris nec non singularis dignatio ista, qua *experientissimorum* titulum consecuti medici sunt, sine philosophiae rationalis studio haud quaquam potest.

IV. *Gratiosus* denique ut fiat medicus, ipsa equidem illius prudentia artisque salutaris nobilitas, si quidem communem *gratiosi* vocabulo significationem tribueris, facile efficiunt. *Gratiosos* enim cum priscis Romanis eos si dixeris, qui *in gratia sunt ac favore, sive regum ac principum, sive populi etiam, aut eorum, quicumque tandem aliquid in republica possunt;* f) nemo sane magis, nemo facilius *gratiosus* evadere, quam prudens diligensque medicus, potest. *Gravitate membrorum & cruciatu dolorum si quis quem levet, magnam inerat gratiam;* ceu recte quidem CICERO g) iudicavit. Sanitatem enim ac vitam fere semper mortales vel maximis etiam divitiis, honoribus vitaeque commoditatibus cariorem existimare, nec sine sufficiente causa, solent. Nihil igitur mirum, sanitatis restitutores vitaeque servatores apud nullos fere non, tantumque non semper *gratiosos* atque amabiles existere. Studio dixi, *tantum non semper;* quum sciam, medicos ab aegro-

f) Lectu haud indigna hic sunt, quae extant in B. IAC. THOMASII *succincta dispositione amplioris thematis de medica facultate quatenus gratiosa*, cum MICH. ALBERTI praefatione *de dignitate medica*, Schneebergae 1734. 4. edita.

g) *lib. 4. de finibus bonorum & malorum.*

grorum partim cruciatibus, partim mollitia, si praesertim medicina efficax seu gravis curatio quaedam adhibetur, & fortassis propter alias quoque causas, nescio quam *odiosum ac terribilem*, praeter omnem quandoque culpam suam, prae se ferre *habitum*. Pulchre omnino EVRICIVS CORDVS, medicus idem ac poeta ingeniosissimus, cecinit:

*Tres medicus facies habet. unam, quando rogatur,
angelicam. mox est, quum iuvat, ipse deus.*

*Ast ubi curato poscit sua praemia morbo,
horridus adparet terribilisque Satan.*

Sed ut aperte, salvis interim aliter sentientium iudiciis, quod sentio, dicam, magis certe propter *gratiam miseris atque afflictis hominibus quibusvis*, sive iam victu, sive medicamentis, sive manu denique medendum sit, quadam quasi naturae atque humanitatis lege *debitam ac praestitam*, quam propter *favorem, prudentia atque arte sua apud alios adeptum, gratiosi* titulum facultas medica, sive ars salutaris, eiusdemque professores videntur obtinuisse. Utique enim in morbis atque apud aegros istiusmodi necessitates atque incommoditates subinde obvenire, quae sine exquisita medici gratia sive humanitate, benignitate, ac misericordia sustineri vix possunt, dudum ab AGRIPPA, h) nec sine morosa dicacitate, animadversum legitur: praeterquam quod communis experientia abundanter id ipsum comprobat. *Gratiosos ergo salutare eos demum medicos, nostra quidem sententia, decebit, qui cum singulari arte ac prudentia sua haud vulgarem misericordiam maximeque officiosam humanitatem ac benignitatem, quavis data occasione calamitosa, coniungunt. Ecce novum sapientiae seu philosophiae in medicinam & medicos beneficium!* Neque enim sine bona indole sapientiae-

F 3

que

h) Cap. LXXXIII. libri *de incertitudine ac vanitate omnium scientiarum & artium*.

que disciplina officiosae humanitatis velutique communis omnium
charitatis studium aliquod exspectari a quoquam potest.

Quibus equidem ita se se habentibus, evidentissime, si
quid ego sentio, patet, neutiquam a veritate alienam esse
SCHELHAMMERI, nobilis quondam Helmstadiensium
medici, sententiam; dum is *medicum philosophum ἰσοθεον* esse
censuit; i) perquam autem raros in tanta medicantium copia,
quid quod Stoicorum *sapiente ac bono viro*, vel Aristotelico-
rum *viro prudente* propemodum rariores medicos vere pru-
dentes ac grotiosos existere. Bone Deus! quam bene multi
salutaris professionis laudem, quaeque huic coniuncta esse
solent, GALENI munera confidentissime arripiunt; quum
tamen a sinceræ humanitatis sapientiaeque studio flagitiose
admodum imparati existant, artisque salutaris beneficia
in humani generis pestem ac perniciem crudeliter conver-
tant. Digni profecto, qui a severissimo doctorum ac disci-
plinarum censore, HENRICO CORNELIO AGRIPPA k)
strenue castigentur. Maximopere igitur optandum esse ar-
bitror, non ad prudentiam modo atque officiosam integritatem
seu humanitatem salutaris artis candidatos, sed & vel maxime
ad solidioris sapientiae atque humanitatis studia iuvenes medicinae
tirones iureiurando quodam Hippocratico, l) aliisque id genus vin-
culis ac legibus, paullo quam fieri quidem vulgo solet, seve-
rius, in academiis adstringi.

Nobilem vero tuam, mi CLÖTZI! maximeque prae-
claram indolem ac sollertiam, qui partim in regiomontana,
partim & vel maxime in nostra hac academia Iulia, sanctis-
simo

-
- i) dissertatione singulari, Ienae 1690. de hoc ipso argumento edita.
k) libro superius citato, capp. LXXXII. et LXXXIII. quae de *medici-
na in genere*, item de *medicina operatrice* inscribuntur.
l) laudari ac legi hic egregium illud nostri olim MEIBOMII opus
meretur, cui titulus est: HIPPOCRATIS MAGNI Ὁρκος sive
iusiurandum, recensitum & libro commentario illustratum a
IOANNE HENRICO MEIBOMIO. Lugd. B. 1643. 4.

fimo velut HIPPOCRATIS iureiurando adstrictus, omnes animi tui nervos intendisti, ut strenuo atque indefesso non ipfius tantum artis falutaris, fed & fapientiae cumprimis atque humanitatis haud fucatae ftudio prudentis gratiofique medici veram laudem confequi aliquando poffes. Quam digne ac feliciter res tuas gelferis, nifi ex egregia differtatione tua manifeftum videretur, fplendida fane doctoris medici dignitas ifta, quam optimorum quorumvis cum plaufu, nec fine mirifico meo gaudio, *gratiosa Medicorum praefantiffimorum Facultas* TIBI deftinavit, haud obfcure teftificatur. Neque enim temere vendere honores ac titulos, nifi laboribus, five doctrina & virtute, gratiofiffima Julia noftra folet. Igitur iniurius propemodum in Tuam, mi CLÖTZI, virtutem, quemque virtus Tua iure quodam fibi vendicat, amorem meum ego viderer, nifi novos honores tuos folemniter atque ex animo TIBI gratularer: quum praefertim non fperare tantum, fed prorfus etiam confidere liceat, fore, ut prudentis gratiofique medici officio laudabiliter fungaris, debitaque medicis prudentibus ac gratiofis gloria & felicitate laetus perfruaris. Sic diutiffime vale! gratiofaeque Juliae noftrae & mihi denique in pofterum quoque gratiofum TE praeftare perge. Scrib. Kalendis Octobris an.

CIO IO CCXLII.



Iam

Iam iam Doctoris titulum meditaris, Amice:
Id Tua significat littera scripta mihi.
Ad cathedram properas: nova iam medicina paratur!
Indulges ægro, quem velit ille cibum.
Quemque velit pctum sitienti porrigis ipse.
Semper sic miseris hospes amicus eris.
In fabro sanat perbelle brassica febrem:
Quod vetulæ fastis inseruere suis.
Adpetit hinc sartor fabri medicamen, ut iste,
Dum fuerat raptus febre vorace miser.
Iam datur, ut fabro, sartori brassica: sed quid?
Ah! fit sartori brassica lethifera
Altius esse putas fortassis, Docte, petendum,
Cur ægri cupiant sæpius insolita?
Haud raro, morbum quod sanat, id adpetit æger.
In nobis residet sic medicina valens.
In morbis forsan quæres Hippocratis illud
Θελοι in ægrotis, quod latitare docet.
Sed Tua iam quorsum se dissertatio vertat,
Illa Tui meriti splendida testis erit.
Hinc etiam fummos Tibi iam largitur honores
Artis, dat, tribuit iustus Apollo suæ.
Hocce Tuo mactus titulo, Perdocte Machaon
Esto: proficiat iam Tibi talis honor.
Vertite nunc calicem, nunc vivat Doctor in annos
CLÖTZIUS innumeros, vertite prosper eat!
Ipsi fida refer mea vota, precare salutem,
Littera, tu cordis fida ministra mei.
Sit memor ut nostri, pete: dic quoque nostra fuisse
Ultima verba: Tuus fidus amicus ero.

Halæ ad Salam
D. XXV. Septembris
A. O. R. MDCCXXXII.

ADAMVS NIETZKI, Prussus.
M. C.



mal